

mis attingere liceat famosissimam illam quæstionem:
*An, si debitori, qui alienam rem pignori obligaverat,
 heres extiterit dominus rei, pignus convalescat?* Ne-
 gat Paulus in *l. rem alienam. 41. ff. de pign. act.* Af-
 firmat Modestinus, in *l. si Titio 22. ff. de pign. & hypoth.*
 Sane si ex † contractu pignoris agatur, quin actio in-
 de detur personalis contra heredem, non est dubium, quo-
 niam obligationes ex contractibus transfeunt in heredes
 active & passive; sed de eo dubitabatur, utrum daretur a-
 ctio hypothecaria, quæ realis est contra heredem? Tam
 varia † fingunt & excogitant commentatores pro conci-
 liatione hujus Antinomiæ, ut in tanta optione vix scias
 quid eligendum, quod Accursio quoque evenisse videtur
 in *d. l. si Titio. Alciatus libr. 7. parerg. c. 14.* contra fidem o-
 mnium exemplarium, pro *non, num* legi debere putat,
 proptereaque à Roberto 2. *recept. lect.* non inique repre-
 hensus; sed nec ipsius distinctio quam ibi tradit, nodum
 solvit. Aliter Gabr. Mudæus in *l. i. ff. de pign. n. 21.* Aliter
Connanus lib. 4. comm. c. 13. aliter Cujacius *l. 29. obs. c. 26.* & ad
Paul. d. l. aliter alii; quorum rationes acute, ut solet, ex-
 minat, placideque refellit Herm. Vultejus *discept. jur. Schol.*
cap. 17. Sed si quis (inquit idem ipse) quærat, quid ego sen-
 tiam, respondebo, fateri me, videre me quidem, quid
 non dicatur recte, sed quid recte dici possit, me non satis
 pervidere. Placet tamen † omnino conjectura ejus quam 12
 affert sub finem *d. cap.* quando dicit, diversos sibi videri
 casus, & hinc quoque diversitatem decisionis. In *d. l. si.*
Titio, res aliena pignori † erat obligata domino prorsus 13
 ignorante: At in *l. rem alienam*, pignorata erat res alie-
 na, domino non ignorantem, sed potius non volente. Di-
 cit enim Paulus notanter: Si ergo Titio qui rem meam
 B 2 obli-